



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola II. Alexandri Papae II. Ad Haraldvm Norvegiae Regem. Hortatur
eum ad obediendum Adalberto Hamburgensi archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

filio suo Isaac; filiis autem concubinarum dedit munera, & segregavit eos a filio suo Isaac.

Castitatem
clericorum
infinuat.

Ecce itaque omnes dicebantur filii, sed non omnes hereditatis paternæ sunt iura sortiti. Sic profecto fratres, quamplures sunt hodie Christianæ professionis titulo decorati, qui videlicet in Christi hereditate nequaquam merentur adscribi: & nunc quidem paterno vocabulo gloriantur, sed nequaquam ad hereditanda paterna bona perueniunt, quia velut spurii, non cælestia, sed terrena ignobiliter concupiscunt. Vos autem, dilectissimi, membra mea, viscera animæ meæ, sic satagite per viam mandati cælestis incedere, ut mens nostra merito semper debeat de sancta consanguineorum suorum conversione gaudere. Speramus autem in eo, qui de Virgine dignatus est nasci, quia nostri ministerii tempore sancta clericorum castitas exaltabitur, & incontinentium luxuria cum ceteris hæresibus confundetur. Omnipotens Deus, dilectissimi fratres mei, ab omni vos prauitate custodiat, & per iustitiæ semitam ad cælestia vos regna perducatur.

EPISTOLA II.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD HARALDVM NORVEGIÆ REGEM.

Hortatur eum ad obediendum Adalberto
Hamburgensi archiepiscopo.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei Haraldo Nortmannorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

QVIA adhuc rudes in fide existitis, & in ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, oportet nos, quibus totius ecclesiæ est commissum regimen, diuinis admonitionibus vos frequentius visitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minime valeamus, sciatis nos * Alberto Bremensi archiepiscopo vicario nostro hæc firmiter commisisse. Prædictus itaque archiepiscopus legatus noster suis nobis est conquestus epistolis, quod episcopi vestræ prouinciæ aut non sunt consecrati, aut data pecunia contra Romana priuilegia quæ suæ ecclesiæ sibi que data sunt, in Anglia, vel in Gallia,

* Adal-
berto

peffime sunt ordinati. Vnde ex auctoritate apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt ficuti apostolicæ sedi reuerentiam subiectionis debetis exhibere, ita præfatam venerabili archiepiscopo vicario nostro, & vice nostra fungenti, vos vestrique episcopi impendatis, &c.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ III.
ALEXANDRI PAPÆ II.
AD SVENONEM REGEM DANORVM.

Exigit censum a Suenone Danorum rege, quem maiores eius persoluere consueuerunt.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Suenoni regi
Danorum.*

Quapropter prudentiam tuam admonemus, vt censum regni tui, quem prædecessores tui sanctæ apostolicæ ecclesiæ persoluere soliti sunt, nobis & successoribus nostris transmittere studeat: ita tamen vt non sicut oblatio in altari ponatur, sed, vt supra diximus, tam nobis, quam successoribus nostris, vt certius approbetur, præsentialiter offeratur.

EPISTOLA IV.
ALEXANDRI PAPÆ II.
AD PETRVM DALMATIÆ ET SLAVONIÆ
ARCHIEPISCOPVM.

Misso illi pallio, eiusdem officio grauitere incumbere hortatur.

*Alexander seruus seruorum Dei Petro venerabili archiepiscopo
Diocliensis atque Antibarensis ecclesiæ salutem
perpetuam in Christo.*

Si pastores ouium sole geluque pro gregis sui custodia die ac nocte intenti sunt, & vt ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus deficiat, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque cura debemus esse peruigiles nos, qui pastores animarum esse dicimur? Attendamus igitur vt susceptum

Gggg ij